



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,  
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola  
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas  
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

**Melanchthon, Philipp**

**1559**

**VD16 M 3567**

Adhortatio ad omnes sacrarum literarum studiosos, de doctrinæ puritate  
in Ecclesia conseruanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34734**

ORATIO D. DOCTORIS CRV-  
cigeri, de puritate doctrine in Ecclesia conser-  
uanda, in promotione Doctorum Theo-  
logiæ habita. 1536.



NON existimo à me postulari, ut ex-  
ponam causas cōsiliij nostri in pro-  
mouendis Doctoribus Euangelij,  
cum ex hoc ipso loco non semel o-  
stensum sit, a doctissimis uiris, hunc morē schola-  
rum uti, qui uocantur ad docendum Euangelium,  
publico testimonio ornentur, maximis et necessa-  
rijs de causis, conseruandum esse. Quia enim plu-  
rimū refert in Ecclesia, qui ad ministerium do-  
cendi Euangelij accessuri sunt, doctrinam & mo-  
res probè cognitos esse, & Paulus uetat quen-  
quam nisi ante exploratum, ad docendum admit-  
ti, ac iubet requirendos esse homines fideles, &  
idoneos ad docendum, quibus commendetur mini-  
sterium nos quoq; oportet religiosè operam da-  
re, & ne inexploratos ad docendum irrumperè  
sinamus, eos quorū industria ac studium pietatis  
nobis probatur, uestro testimonio Ecclesijs com-  
mendemus. Cum enim hæc sit publica quædā uo-  
catio, necesse est et publicum testimonium ad eam  
accedere, sed quoniam existimo nostrum consiliū à  
nemine

Publicum testi-  
monium neces-  
sarium Theolo-  
gis.

nemine sano reprehendi, non iudicavi de eo pluribus dicendum esse. Cum autem mihi datum sit negotium de more publico hoc loco dicendi, etsi nō ignoro me et elocutione, et alijs facultatibus multis modis imparem esse huic prouinciæ, & nihil afferre posse, quod uel nouitate & gratia argumenti, uel commendatione orationis placere possit, tamen quia propter publicam autoritatem, quam mihi detrectare non fuit integrum, aliquid dicendum est. Statui in presentia sacrarum literarum studiosos, et qui ad docendum accessuri sunt, admonere de suo officio, ut postquam summo Dei beneficio, hoc tempore pura Euangelij doctrina renouata ac restituta est, omnes suas cogitationes, curas et studia conferāt ad conseruandam in Ecclesia puritatem doctrinæ, ac meminerint sibi unum hunc finem propositum esse, ad quem semper spectare, & quō omnis noster cursus contendere debeat. Hæc adhortatio quā necessaria sit, præsertim hoc nouissimo tempore, non solum presentia summa pericula, sed etiam maiorum in posterum metus admonere nos debet, in quæ iam prospicienteis homines pij & rerum spiritaliū periti, sic iudicant non posse puram religionis doctrinam conseruari, nisi in hoc unum cōmunibus studijs, ac coniunctis omnibus uiribus toto pectore

fore incumbant omnes, quibus in Ecclesia com-  
 missum est docendi munus. Quod ut fiat, imprimis  
 opus concordia, siue coniunctione animorū inter  
 doctores. Itaq; de hac uirtute aliquid hoc loco di-  
 cam, tametsi haec adhortatio, multò latius patet,  
 quàm ut nunc pertexi possit. Principiò autē cum  
 de concordia Ecclesiastica dicitur, intelligendum  
 est, primum omnium requiri consensum puræ do-  
 ctrinae Euāgelij, hoc enim caput est, et fons omnis  
 Christianae concordiae. Quare hic non sunt audi-  
 endi, qui uociferantur nos publicā Ecclesiae tran-  
 quillitatem perturbare, concordiam labefactare  
 & conuellere, quia discedimus ab ijs, qui autori-  
 tatem, titulum, & nomen Ecclesiae multitudinis  
 approbatione, & prescriptione longi temporis,  
 sibi arrogant, tamen contra Euangelium, iniusta  
 dogmata defendunt, & nos quia ipsis non subscri-  
 bimus, omnibus diris deuouent, in ferro, in flam-  
 ma & omnis generis crudelitate persequi conan-  
 tar. Nos uerò cum habeamus in scriptura Deū  
 mandatum clarè expressam, ne adiungamus nos  
 falsa et impia docentibus, nec aduersariorum cla-  
 moribus, neq; ullis propositis periculis moueri  
 debemus, nec probare eorum consilium, etiamsi  
 qui bene studio ducuntur, qui sic mirantur, et ex-  
 petunt publicam concordiam, ut eam posthabeāt

Concordia Ec-  
 clesiastica requi-  
 rit purae doctri-  
 nae consensum.

D puritati

puritati doctrine, & potius ducant in Ecclesia  
 tolerari, ac dissimulari palam impias opiniones et  
 manifestos abusus, quam periclitari tranquillita-  
 tem publici status. Scite illud ait dictum esse ami-  
<sup>22</sup> *Veritas,* <sup>22</sup> cui Plato, amicus Socrates, sed magis amica ue-  
 ritas. Ita nobis existimemus primam curam esse  
 debere, ut ueram doctrinam tueamur. Et cum de  
 concordia Ecclesia precipitur, sciamus nos cum  
 ijs, quos scriptura uocat Ecclesiam, hoc est, qui  
 puram doctrinam tenent, & in ea consentiunt,  
 coniungere debere. Cum autem nobis Dei beneficia  
 contigerit, ut apud nos extet uera Euange-  
 lij doctrina, repurgata ab omnibus impijs opi-  
 nionibus, hic intelligamus nobis & concordiam  
 precipi, & nihil à nobis maiori agendum stu-  
 dio, ac contentione, quam ut eam inter nos tutea-  
 mur, & per eam Euangelij beneficium diuinitus  
 datum, quantum in nobis est, conseruare studea-  
 mus, ac cogitemus ad doctrinae conseruationem,  
 nullam esse uirtutem Ecclesia in uniuersum ma-  
 gis necessariam et salutarem, quam ueram et syn-  
 ceram concordiam, et animorum coniunctionem  
 inter Doctores. Etsi enim uerum est, etiam consi-  
 lio, ac potentia diuina puram doctrinam in ecclesia  
 conseruari, tamen cum de nostro officio dicendum  
 est, quia Deus ministerio uerbi, per homines in  
 Ecclesia

Ecclesia agit, maximi momenti res est, nō tantum ad publicam tranquillitatem, & alia commoda, sed etiam ad doctrinæ puritatem conseruandam. Nam concordia uoco, non tantum opinionum et doctrinæ, sed etiam uoluntatum consensionem, uera coniunctione inter se mutuò deuinctos esse animos docentium. Sed ut clarius perspici possit, quàm necessaria sit hæc uirtus, aliquo modo consideremus, quantum malorum secum trahat discordia, præsertim inter eos, qui sunt in ministerio publico. Neq; uerò hoc iudicare difficile est, si tantum aspiciantur exempla, quæ utinam nos non nimis infœliciter doceant, ac tantum de præsentibus conqueri, non etiam futura metuere cogamur. sed de exemplis mox dicam, nunc hoc prius, ut magnitudinem malorum consideremus, quæ sepe à leuibus, & exiguis apparet initijs, oriuntur, ubi hæc pestis irrepserit in publicum ministerium Ecclesiæ. Neq; enim securè contemnendæ sunt Diaboli insidiæ, aduersus Ecclesiam. Cum enim is uerè sit, ut dicitur mille artifex, & Ecclesiam acerbissimo & immortali odio prosequatur, nec cesset, aut desinat omnes uias & modos querere, quibus Ecclesiæ dissipationem, & perpetuam uastitatem afferat, ubi alia non potest, hæc arripit initia, & occasione, ut

Quid nocet concordiam

Discordia pe-  
nis Ecclesiam

Insidiæ diaboli  
quibus turbat  
Ecclesiam.

D ij undecunq;

undecunq; inter Doctores spargat discordia, ac disidiarum semina. Vbi autem maximè principio non sunt de doctrina dissensiones, sed alia priuata, ac personales offensionum causa, tamen inde permanat ad totam Ecclesiam, et ubi simul gliscunt, tales, & erumpunt odia, primùm periclitatur, mox etiam palàm læditur ipsa doctrina.

**I.**  
Scandalum.

Nec enim tantum exemplo, et scandalis alijs nocent, propter quæ malè audit apud aduersarios Euangelij doctrina, & infirmorum animi offensa perturbantur, ac incipiunt dubitare de doctrina, aut certè eam minus reuerenter complectuntur, sed ex ijs disidijs, postquam animi cœperunt inter ipsos alienari, scedè uoluntatum dissensionem, sequitur etiam offensionum dissimilitudo, ultrò amplectuntur occasiones inuicem insectandi, facile rapiunt in calumniam aliorum dicta, etiam bona aut certè tolerabilia, ut ea odio deprauent. Ab his initijs decurritur ad factiones et partes, & suam quisq; sententiam pergit pertinaciter tueri, quibus potest modis, & aduersarium odiosissimè criminari, quædam etiam tantum ideo defenduntur, non quod uera esse uidentur, sed quia uoluptati est ab aduersario dissentire. Postea latissimè uagantur factiones, disidia ab autoribus excitata, non tantum urbes, sed totas terras occupant.

**II.**  
Factiones.

**III.**  
Intercitus.

Postea latissimè uagantur factiones, disidia ab autoribus excitata, non tantum urbes, sed totas terras occupant.

occupant. Ita quaedam priuata odia ulciscuntur,  
 publica Ecclesiarum calamitate. Ac satis appa-  
 ret hanc omnibus ferè temporibus extitisse ori-  
 ginem hereseſum & Schismatum, iam inde ab ini-  
 tio euulgati Euangelij, quod Diabolus ex ipso  
 corpore Ecclesie pulchre consentientis in uera  
 doctrina, excitauit aliquos, qui propter priuatas  
 cupiditates, aut similes causas, ab animorum &  
 uoluntatum diffensione, ad diffensiones de doctri-  
 na prouecti, perpetua dissidia in ecclesijs pepere-  
 runt. Quam à leuibus principijs excitatū est pesti-  
 lens Arii incendium, quo postea omnes propè O-  
 rientis ecclesie conflagrarunt, quòd in electione  
 Episcopatus alius Ario prælatus fuerat. Plena  
 exemplorum est historia omnium etatum, sed nō  
 est opus procul exempla repetere, cū sint ob o-  
 culos præsentia. Meminimus ex hac ipsa schola  
 quosdam, cū initio in asserenda pura doctrina  
 Euangelij, nostris uiderentur esse coniunctissimi,  
 postea, cū ex suis quibusdam suspicionibus, non  
 uiderentur se satis admirationis, & glorie con-  
 secutos esse, nec pari autoritate, ac existimatio-  
 ne cum Doctoribus haberi, mox exarsisse inuidia,  
 adiunxisse sibi homines furiosos, quorum auxilio  
 spargerent fanaticas opiniones, unde ad extremū  
 Anabaptistarum furor inualuit. Sed quia quidam

Origo herese-  
um.

Arii incendia.

Anabaptista-  
rum furor.

D ij pœnas



Vuicellii uene-  
num.

Pœnas dederunt, non nomino. Scio plerisque uestri-  
notum esse Vuicellium, ut est homo natura ambi-  
tiosus, et de se magnifice sentiens, cum tamē esset  
homo obscurus, nec quicquā dignum tanta opini-  
one eruditus hominibus, quam sibi ipsi induerat,  
protulisset, quia suspicabatur, se non satis pro di-  
gnitate tractari, hac sola de causa, cepit à no-  
stris dissentire. Et cum quadā eius scripta ab ami-  
cis leniter essent reprehēsa, exarsit ira atq; odio,  
et miscere omnia conatus est, & quicquid potuit  
ueneni in nostros euomuit. Hæc exempla docere  
nos possunt, quantum malorum afferat in Eccle-  
sia, dissensio uoluntatum inter docentes. Summū  
malorum est, & certissima Ecclesie pennis, pure  
doctrinæ deprauatio; Sed ad hanc, occasiones &  
causas præbet discordia docentium. Quare quana-  
tum in nobis est, summa cura, ac studio cauendum  
est, ne nostra aliqua culpa eiusmodi malum inter  
nos excitetur. Neq; uerò cogitemus, nos liberos  
esse ab his periculis. Nam Diabolus, ut dixi, non  
desinit nos omnis generis insidijs atq; artibus ap-  
petere. Et nunquā tam sceleriter agetur in rebus  
humanis, quin existant etiam inter bonos, aliqua  
offensionum occasiones. Magna est inter homi-  
nes ingeniorum, et naturarum dissimilitudo, itaq;  
facile potest accidere, ut alij aliorum factis ac di-  
ctis

Summum  
malorum  
doctrinæ  
deprauatio.

His offendantur. Et cum semel admittimus occa-  
 siones, postea ipsi nobis indulgemus, animi paula-  
 tim incipiunt alienari, accedunt sinistrae suspitio-  
 nes, quae etiamsi non erumpunt in simultates, &  
 odia, tamen non abeunt sine incommodo publico, mul-  
 ta bona res impediuntur, cum animi non satis co-  
 herent, nemo alteri confidit, aut sese aperire au-  
 det. Ita non conferuntur studia, ad consulendum  
 Ecclesiae commodis, non sunt de rebus necessarijs  
 deliberationes, aut colloquutiones, quomodo obscu-  
 riores controversiae religionis, clare & proprie,  
 ac ad unam aliquam certam formam secundum scri-  
 pturam explicentur. Saepè non satis intelligi po-  
 test, quid quisque sentiat. Haec iam satis magna  
 sunt, quid autem futurum est, si accedunt & illae pe-  
 stes, simultates, odia, factiones, tumultus, & ama-  
 rulentae criminationes, pugnae, quas merito quis-  
 quis est, Christianus, toto animo execrari, atque  
 exhorrescere debet. Quamobrem, tamen si haec qui-  
 dem Schola, hactenus pacata fuerit, & inter Do-  
 ctiores singulare studium concordiae appareat, ta-  
 men ut ea porro conservetur, huc conservamus, coram  
 & cogitationes nostras, ut his malis, quae dixi, oc-  
 curramus. Et est sane ad hanc rem opus singulari  
 cura ac prudentia, et hoc, ut in alijs rebus, ita hic  
 quoque necessarium & utile praecipuum est, quod

Principiis ob-  
sta.

monet principiis esse obstandum. Litis initium, inquit Salomon, perinde est, ac si alueum ruperit aqua, quæ postea nulla inuitus contineri potest. Ita in Ecclesia à paruis initijs, ortæ diffusiones, postea cum inualuerunt, nullis remedijs sanari possunt. Quare quantum possumus, uitemus occasiones omnes, præcidamus quicquid impedit, aut obstat, etiam si quæ iusta uidentur esse cause offensio-  
num, condonemus mutuo, disimulemus priuatas iniurias, propter publicam pacem, nostra commoditate placemus aliorum animos offensos, amicè ac placidè cōseramus cum alijs de dogmatibus religionis; & grauioribus controuersijs, ipsi nihil temerè pronūciamus, nisi de cōmuni sententia cū doctioribus diligēter collata, si quid ab alijs tolerabiliter dictum est, nō statim calumniose exagitemus, si quid erratum, fraternè admonendo corrigamus. Deniq; coniungamus studia & operas tuas, ut extet clara et cōsentiens explicatio totius doctrine, in qua nihil hereat perplexi, nihil ambigui: in summa, quemadmodum alios uidemus pro suis commoditatibus ambitiose et cōtentiose niti ac pugnare, ita nos φιλοτιμονεῖνοι, ut Paulino uerbo utar, & quasi affectato studio hoc agamus, ut sit in ecclesia sanctæ, tectæ, et ad posteros etiam durabilis cōcordia. Est enim & hoc inter multa  
huius

Quomodo ista  
Ecclesie con-  
cordia alenda.

huius generis sanctissima præcepta Pauli ad Eph.  
 cū omni humilitate, inquit, cū māsuētudine, cū pa-  
 tientia tolerate inuicē in charitate, solliciti serua-  
 te unitatē spiritus in uinculo pacis. Vnitatē spiri-  
 tus præcipit, hoc est uerā cōsensionem doctrinae,  
 Et eam inquit cōtineri pace et cōcordia, tanquā  
 uinculo. Deinde huius sollicitū studium requirit,  
 et significat nō posse cōseruari ecclesie cōcordiā,  
 nisi adsint hæ uirtutes, humilitas, mansuetudo, pa-  
 tientia, quibus inter nos mutuo toleremus. Chri-  
 stus ipse iā discessurus à suis, hoc unū mandatum  
 ait se relinquere, ut inuicem diligant, nec piget in-  
 ipsum hoc præceptū iterum atq; iterum repetere,  
 Et inculcare, ut significet, quanta cura uelit esse  
 ijs, qui præ sunt Ecclesijs. Quare Et nobis hoc in-  
 culcemus, ut semper ob oculos et infixum animis  
 habeamus. Maxima pericula sunt, quæ expectare  
 oportet pios doctores propter ecclesiam, à satana  
 Et mundo, multa sunt difficultates, et incōmoda,  
 quæ in ipso cœtu Ecclesie incidunt. Hic oportet  
 esse magnā uim dilectionis, quæ cōtemnere possit  
 pericula, perferre omnes acerbitates, tolerare, et  
 condonare iniurias, mederi incommodis. Hæc nō  
 faciunt, qui non ex animo afficiuntur Ecclesie  
 miserijs, et eius integritatem, ac salutem, sua ipso-  
 rum uita chariorem habent. Ita q; subijciamus no-

Paulus  
 Cap. iiii.

Christus.

IIXXXIIII

Qui doctores  
 pericula susti-  
 nere possunt.

D V bis,

bis, qua charitate nos cōplexus sit Christus, cum  
 pro nobis liberandis ex diaboli regno, peccato,  
 morte et inferis, sanguinē suum profudit, et si quī  
 dē eius discipuli haberi uolumus, faciamus ut sen-  
 tiat Ecclesia, nostrę quoq; dilectionis aliqua offi-  
 cia, moueant nos non tantum præsens temporis  
 pericula, sed etiā posteritatis, cui certē debemus,  
 quantum per nos potest, relinquere Ecclesiam no-  
 strā cōcordia conseruatā, cogitemus nullum nos  
 Christo gratius officium, nullum deo sacratiorem  
 hostiā, ac acceptatiore cultum prestare posse. Sua  
 uisimum est Davidis carmen de concordia Eccle-  
 się, Ecce quā bonum & quā iucundum, &c. in  
 quo meminit Sacerdotis Aarō, ut significet se de cō-  
 cordia docētium loqui, & esse propriū Sacerdoti-  
 um, et gratissimū deo cultum, cōcordibus animis  
 docere purum uerbū dei. Addit de Balsamo et ro-  
 re, quia & ecclesia hac cōcordia mirificē recrea-  
 tur, & in uniuersum toti uitę hominum nihil ea  
 utilius, nihil salubrius. Sed desino hęc lōgius per-  
 sequi, uobis uero qui ad docendum accessuri estis,  
 cōmendo et ipsum ministerium, ut in eo summa re-  
 ligione uersemini, et ad illud affērat is acerrimum  
 cōcordię studium. Oremus autem deum, ut nobis  
 donum Euangelij, quo nullum in terris maius ha-  
 bemus, pro sua misericordia conseruet. Dixi.

ORA

Psa. XXXII.